Z.
le III
ÑA

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
SUPPL.
PALATINA
B
1
NAPOLI

337.

Digitized by Google

Suppl. Palat. B 1

Digitized by Google

Digitized by Google

‹BOR LINGUARUM



NAPOLI

GLOSSODENDRON

SEU

LINGUARUM GENEALOGIA

A

LAELIO CARFORA

BREVITER ENUCLEATA.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

NEAPOLI,

EX TYPOGRAPHICA ET CHARTARIA FIBRENI OFFICINA

1831.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTELOQUIUM.

CERTE nobilissimum inter metaphisica studia illud est, quod humanae mentis progressus ac vicissitudines spectat. *Sanconiaton*, *Plato*, *Varro*, aliique non pauci ex veteribus, atque innumeri ex recentibus philosophis huc animi curas contulerunt. Inter quos illi praesertim principem locum obtinent, qui aeri ingenio, et singulari diligentia se in ideologicis disciplinis penitus abdiderunt. Eorum sane plerique penitissimas animi vires rimari adlaborarunt, non pauci mentis arcana detegere strenue conati sunt, reliqui porro in *cogitationis historia* contexenda acriter incubuerunt. Verum cum mentis interpres sit sermo, silentio mihi praetereundi non videntur quamplurimi docti homines, qui ad linguas scripturasque exquirendas simul et recensendas litterarios nisus converterunt, atque earum origines et incrementa investigare non dubitarunt. Quod ad linguas attinet, quae propius quam scriptura mentis ideas exprimunt, sane nihil

Digitized by Google

aliud quam etymologicas inquisitiones esse credide-rim universa ea opera, quae usque in praesens tempus doctorum elaboravit industria. Et quamquam doctissimus Adelung suo *Mithridate* rempublicam litterariam donarit, tamen illius opus vere mithridaticum linguarum atque dialectorum omnium recensio, *catalogus geographicus* et *grammaticus* potius, ni mea me fallit opinio, quam philosophica disquisitio censenda est. Nam egregius vir iste non eo curas suas intendit, ut linguarum progressiones accurate intueatur. Balbus quidem in suo Atlante ethnographico, quod arduo labore susceptum secundo quidem omine absoluit, mirum quantum excellit, sed, ut ipse asserit, linguarum origines et progressus prodere minime studuit. Nonnulli denique in linguarum formatione accuratissime inspicienda elaborarunt, et phisicam potius ac mechanicam, quam politicam et metaphisicam sermonum historiam exararunt; nam labii tantum non gentium affinitatem adverterunt. Cum igitur istiusmodi opus adhuc desideraretur, persaepe hoc vacuum implendi cupido pectus incessit. Sed quum mearum virium imbecillitatem apprime calleam et fatear libentissime, diu nolui onus meis humeris imponere, quod sustinere vix possem. Verum enimvero amici mecum egerunt, ut huic etiam labori adjicerem animum, mihique auctores fuere, ut opus facilè invium et salebrosum pro viribus aggrederer.

Quibus obsequi cum mihi libuerit, ad Bibliam confugi, cui certissima fides habenda, cujusque tan-

tum ductu iter mihi omnino impervium poterat expediri. Etenim cogitabam, quum a Noachi tantum liberis populi omnes post diluvium profecti sint, linguas cunctas, quas gentes ubique passim loquuntur, aut Semiticas, aut Chamiticas, aut Japeticas existimandas esse. Hinc ne latum quidem unguem a sacro textu discedendo, a quo solo veritas haurienda est, gentium migrationes, ac formationes sermonum licuit mihi inspicere. Quaproter de Adamitica primum lingua, et sermonibus in Babelica confusione obortis verbum faciemus, postea de linguis coeteris dicturi, ne a proposito nostro unquam abscedamus. Heic denique illud monere subit, nos neque linguas neque eorum etyma diserte, aut ubertim exquirere et comparare velle, cum id pridem Kircher, Henselius, Hervas, Finetti, Murray, Adelung, Vater, Schlegel, Balbi, de Brosses, Gebelin, Bochart, Maupertuis, aliique plures non sine magno rei litterariae commodo aggressi sint, sed linguas per familiam solum discretas leviter exhibere, ut earum cognationes tantum et progressus uno oculorum intuitu pateant.

VERUM primum omnium e re nostra esse arbitror sacram Moysis historiam ab iniquis hostium calumniis brevi orationis ambitu vindicare. Si secus fiat, vehementer timeo, ne hoc meum exigui pretii opu-

Digitized by Google

seulum aliquibus humi serpere, atque adeo concidere videatur, cum prorsus illius Iudaici Legislatoris testimonio fulciatur. Compertum autem est omnibus non paucos intoleranda audacia homines extitisse, qui sacrae historiae auctoritatem elevare conati sint, lucemque veritatis infuscare, ut radios inde emissos incautis interciperent. Quod ut pro voto assequerentur, ut sunt ad struendas insidias paratissimi, undique de Mose, ejusque Pentateucho ex industria plurimas sparserunt dubitationes, ne illud Christianis suppeteret quo, immota veluti basi, Religio nostra inniteretur. Hinc brevi non piget, quod satis ad rem nostram sufficiat, eorum objecta diluere. Ajunt autem I. Mosem aut nunquam extitisse, aut, etiamsi extiterit, non potuisse adeo explorata habere, quae Deus e nihilo eduxerat, ut par esset singulis diserte recensendis, quasi ipse Conditori adfuisset. II. Sinenses ante conditum Adam jam vixisse, ut ex veteribus eorum monumentis licet colligere. Nos ad singula quae effutiunt, haec reponenda arbitramur. Nemo ignorat Mosem ab ipsis Judacis adeo cultum, ut eum meritis praeconiis nullo non tempore fuerint prosecuti. Qua quidem in re praeclare nobiscum actum est, quod Judaei ipsi eorum, quae certissime tenemus, sint veluti fidejussores, ne careamus firmamento scripturarum. Hoc sapienter more suo Augustinus sic prodidit: « Per omnes gentes dispersi sunt Judaei testes impietatis suae, et veritatis nostrae. Ipsi codices habent .... Videte, quemadmodum de inimicis

nostris alios confundamus inimicos. » Et sane Pharisaeos ipsos Mosis traditionem confessos esse compertum est illis verbis « nos scimus quia Moysi locutus est Deus » (1), et Abrahamum sic diviti in evangelio respondisse « si Moysem et Prophetas non audiunt neque si quis ex mortuis resurrexit credent » (2). Extat denique in Evangelio et augustissimum Christi testimonium de Moyse, quo nihil firmius haberi potest. Verum etiam quem fugit prophanos etiam scriptores de Mose, meminisse? Hellanicus, Castor, Polemo, Ptolemaeus, Mendesius, iique quos Josephus exhibet contra Appionem quam crebram de Mose injiciunt mentionem? Quid quod Juvenalis ipse in eos acuit calamum qui

> Judaicum ediscunt et servant ac metuunt Jus
> Tradidit arcano quodcumque volumine Moses?

Quid quod ipse Plato fertur a libris Mosis hausisse quidquid sapientius in suis scriptis uspiam invenitur? Denique fabulosa ipsa Ethnicae superstitionis commenta de suis numinibus ex Mosis persona, ejusque historia magna ex parte fluxerunt. Consentiunt enim viri docti Deos pene omnes effictos esse et conformatos e viris, quos sacrae litterae praesetulerunt. Jam vero quis dubitabit traditiones

(1) Ioan. cap. 9. c.
(2) Luc. cap. 16. g.

de mundi creatione aliisque rebus, quae eam exceperunt quasi per manus potuisse transmitti ad Mosem? Mathusalem qui tamdiu vixit, haec ab ipso Adam collegit, ipseque deinceps tradidit aliis, donec ad Mosem integra pervenirent. Ab hac quidem caussa fuisse cum non paucis viris doctissimis crediderim, cur primi mortalium tam diuturnam vitam habuerint, ut scilicet per paucos homines rerum quae ab ipso Mundi exordio contigerant, cognitio satis firmata ad posteros devolveretur. Quapropter vitae longaevitatem rectius divinae Providentiae opus dixeris, non naturae. Quod vero blaterones nostri affirmant de Sinensibus, jamdiu explosum est. Neminem enim praeterit ab Adam ad Sinenses maximum intercessisse spatium, antequam ipsi orirentur. Et sane quid pene infinita illa annorum serie, quam Religionis hostes ex lutulentis fontibus hauriunt, aut ad libidinem confingunt, ineptius aut fabulosius? Sollertissimi viri, qui eo operam contulerunt, ut Sinensium annales diligentissime pervestigarent uti de la Hire, Cassinius, Freretus, aliique tot errores, qui in illam annorum computationem irrepserant, cunctis evulgarunt, ne tenebrae caligantibus imperitorum oculis offunderentur. Sic brevi constabilita per nos, quoad ejus fieri potuit, veritate de Mosis historia, ex qua maximum praesidium nostris dictis dimanat, rem aggredimur, et primum a lingua primaeva.

CAPUT PRIMUM

De lingua primaeva sive Adamitica.

Sermo augustissimum Dei donum est : hoc ne veteres quidem ethnicos latuit. Socrates ipse, ut Plato in Cratilo, dictitare solebat rebus atque animantibus nomina fuisse inflicta υπο θεοτερας δυναμεος η της τῶν ανθρωπῶν. Hinc Rabhini qua Adam usus fuit, Angelorum linguam appellant. Nonnulli, quos inter Grotius, autumant hanc linguam post Babelicam confusionem periisse. Alii vero censent Deum nullo pacto voluisse, ut tam excelsa opera penitus intercideret. At quaenam gens meruit, ut sibi a Deo primaevae linguae custodia committeretur? Nimiopere docti inter se hac super re acerrime certarunt, primasque modo huic populo modo illi detulerunt, verum major pars et cuncti Ecclesiae Patres non sine praesentissimo argumentorum praesidio contendunt Dominum eam integram in Heberi Semi abnepotis familia reliquisse, ut istorum fidelitatem remuneraret, non secus ac Noachi familiam propter suam innocentiam in Arca a communi excidio servaverat. Sicut vero, ipsi ajunt, Noachus centum ante annos diluvium praedixit, ita et Heberus triginta annis ante confusionem linguarum filium, quem genuit, Phaleg (id est divisio) appellavit, quia hujus aetate linguarum divisio con-

tigit. Haec vero agendi ratio, quam Deus persecutus est, in Sacris Scripturis non raro occurrit. Sic Lothus a Sodomitico excidio, Josue et Chaleb a rebellium in deserto Istraelitarum nece, Sethi filii a perversitate hominum mirabiliter evaserunt. Praeterea Augustinus divisionem linguarum punitionem fuisse putat in filios hominum qui turrim aedificaverunt, non in filios Dei. Semi perinde ac Enosi progenies Dei praedilectionem ob vitae sanctitatem sibi conciliavit, hinc Augustinus: « quamobrem sicut lingua una cum esset omnibus, non defuerunt filii pestilentiae, nam et ante diluvium una erat lingua, et tamen omnes praeter unum Noe justi diluvio deleri meruerunt; ita quando elatioris impietatis gentes linguarum diver sitate punitae atque divisae sunt ..... non defuit domus Heber, ubi ea, quae antea fuit lingua omnium, remaneret. » Ipse Crisostomus asserere non dubitavit veterem linguam apud Heberum mansisse: Εβερ εμενε αυτην Εχων διαλεξιν ωςπερ και προτερον. Nos Ecclesiae patres non poenitendos certe auctores hac in re sequi satis habemus, neque de nostro aliquid addendum curamus, cum vix liceat mutire in tanta gravissimorum hominum auctoritate. Illud tantummodo ad rem adjiciendum remur nempe sermonem alium internum discernendum fore, alium externum, qui a primo ortus est, eique penitus inservit. Hinc Patres et Philosophi quamplurimi Hebraicam linguam attente advertentes, quae non externum sermonem atque a sensu desumptum, sed

internum et intellectualem magis exhibet, eam coeteris longe anteponunt dignamque existimant, cui Deus perennitatem in Heberi familia destinaret. Quae nunc vero Hebraica appellatur parum veteris puritatis continet, quoniam Rabbini verbis corrasis, vetustam linguam materiali, ut ita dicam, sermone conferserunt, quo accomodatior hominum captui foret. Homines enim nihil extra sensum concipere possunt. Hinc est, ut nemo adhuc divina explicare valuerit. « Audivi arcana verba, quae non licet homini loqui (3) » ajebat Apostolus; idest verba sermonis externi non suppetunt ad exprimenda interni sermonis verba, quae audivi, i. e. intellexi. Cur insuper obsecro Mosem (4) se impeditioris et tardioris linguae Domino profitetur, ex quo ad eum Dominus locutus erat? Quid quaeso sibi vult Christi responsio, qua Nicodemi Iudaeorum principis curiositatem veluti corripit? « Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero vobis caelestia credetis? » (5)

(3) Paul. ad Corinth. cap. 12.
(4) Exod. cap. 4.
(5) Johan. cap. 35, 12.

CAPUT II.

De linguis Semiticis.

Post labiorum confusionem Deus « dispersit homines super faciem cunctarum regionum » (6), « Unusquisque secundum linguam suam et familiam suam in nationibus suis » (7) Semo, nomine a *Sama* (vastitas) desumpto, Asia vastissima pars orbis contigit, ejusque descendentes usque ad Indicum Oceanum et Montem Tanaim processerunt. Tum propter continuas hominum excursiones ac temporis lapsum linguae in diem excreverunt, et quo ulterius pergebant, illae minus suae matris imaginem referebant. Hinc ex Assur et Arphachsad familiis, quae minus quam coeterae ab antiquis sedibus abscesserunt, innumeros sermones fluxisse scimus, qui priori linguae nimiopere assimilabantur. Ex hoc numero profecto sunt Syriacus, qui postea politissimus evasit, Chaldaicus, sive Chasdy, cujus fragmenta in Sacro textu et praesertim in Daniele adhuc supersunt, Arabicus, qui usque in Africam et finitimas terras productus doctorum virorum copia, qui eo usi fuere, Graeci leporis atque elegantiae aemulus fortasse fuit, Samaritanus aliaeque dialecti, quae istis omnibus nuper laudatis suam

(6) Gen. cap. XI. B. 9.
(7) Gen. cap. X. a· 5.

Digitized by Google

originem referunt acceptam. Sed ad unam omnes temporis decursu aliarumque gentium incursione fere obrutas chamiticae linguae exceperunt ac prae caeteris Ismaelitica sive Turcica, quae nunc passim in istis regionibus obtinet. Nam Iudaicae nationis reliquiae ob suum ingratum elatumque animum per universum orbem vagantes linguam simul cum patria amiserunt, atque ab iis populis sermonem nunc mutuantur, a quibus asylum exorare licet. Caeteri porro, qui sub Turcico jugo ingemiscunt inter nationales tantum propria lingua invicem utuntur, dum universa regio dominatorum sermone resonat. Hinc facile videre est quo pacto Deus istarum gentium superbiam retundere statuerit. Populi vero qui has nationes profligarunt se Ismahelitas vocant, atque passim in historiis modo Saraceni modo Turcae nuncupantur. Nos heic operae pretium duximus id paucis aperire ut auctorum opiniones componamus, qui inscii fortasse differentibus itineribus in eamdem sententiam iverunt. Saraceni ab *Al-Sarak* (i. e. *nomades praedatores*) sic dicti, Afri sunt sane quam feri, proni ad bellum, vagi, atque ad Ismaeliticam nationem pertinent. Eos Angelus Agarae Ismaelis matri ita graphice depinxit. «Multiplicabo semen tuum et non numerabitur per multitudinem .... ecce concipies et paries filium, vocabisque nomen ejus Ismael, quod audivit Dominus afflictionem tuam. *Hic erit ferus homo , manus ejus contra omnes et manus omnium contra eum, et e regione omnium*

fratrum suorum figet tabernacula » (8). Et re quidem vera gens ista ab Africanis plagis (nam Agar Ægiptiaca Ismaelem ex Abramo conceptum in Canaan peperit) in Asiam irrumpens usque ad Scythiam, Caucasumque montem sui imperii fines protulit. Ibi Hunnis aliisque Scythiae populis, teste Simacato in Eustathio, commixti *Turcae* a Persis vocati snnt, neque injuria ut quidem sentio, quia *Tur* seu *Dur* Persice *gyrus* atque Hebraice *peregrinatio* sibi vult, aut melius ab ipsa Turcica voce *turck*, quae hac lingua *migratio* valet. Hinc in proclivi est a nomine ipso eorum vagationes facile colligere. Τερκῶϋν, ita Cedrenus, *Εϑνος γενος μεν εστιν Ουννικον πολυανϑροπον και αυτονομον.* Mores praeterea et consuetudines ex Africa allatae rem prorsus confirmant. Cum vero in suis peregrinationibus veluti frusta propriae linguae ubique in terris, quas pervadebant, reliquerint, inde facile liquet, cur tot deinceps Scythici ac Tartarici seu Turcici sermones emerserint (9). Ipsis autem ulterius progressis aliisque gentibus admixtis et praecipue Armenicae (10), quae peculiarem omnino

(8) Genes. cap. XVI.

(9) Zingani ab Apollonio atque Orpheo Sygini, seu Sigini appellati, vel Tatara stirps ducenda est, eosq. Herodotus ad Caucasum et Strabo ad Tanaim (nunc Don) collocat.

(10) Ios. Heb. hist. Kircher Tur. Bab. Mois. chor. in hist. lib. 1, cap. 9. Armenica lingua quae vel Hycana, ab Hayco quinto Iapheti abnepote et Thorgomi filio dicitur; ita appellata est sive ab Aramo Haycanorum rege VII, et Abrahami contemporaneo, sive ab

linguam sibi adscivit, innumeri Caucasicae regionis sermones effluxerunt. Persica etiam lingua ab *Indo-Mongolicis* exorta adeo ab istis inquinata fuit, aliisque non paucis, ut in aliam nunc pene abierit. Id satis confirmant Sadder, Zend-Avesta (vivens verbum i. e. Deus), aliaque Zoroastri Opera, quae Ghebrico id est vetere sermone exarata nunc vix lectorem apud Persas inveniunt. Persae autem Helami Semi filii sunt soboles (11), atque a *Paras* (equus) nomen desumserunt, quia equos valde adamabant. Et sane quem praeterit quantopere Persicus aequitatus in vetustis historiis praestiterit? Herodotus et Xenophon produnt Cyrum in oculis tulisse Astiagis quendam servum, a quo equum adscendere didicit. Praeterea haud profecto a veritate abhorret Persiam ita fortasse fuisse appellatam cum Darius Hystaspis filius propter equi sui hinnitum regnum fuerit adeptus. Quod vero ad Indicas linguas attinet, historia nobis prodit Salam Semi ex Arphachsad nepotem in Indiam cum suis familiis concessisse, quae *Hoda* proprie dicitur ab *Hada extendere*; et reapse Sale longius quam coeteri Semi descendentes, sese extendit. Hinc permulti Indici sermones, qui tempore labente, aliarumque etiam

---

Aramo Semi filio. Hinc legitur in num. cap. XXIII. C. « de Aram adduxit me Balac.........de montibus orientis. » Et sane Aram *celsitudinem* significat atque Armenia celsissima orientis provincia est, cujus montes a diluvii aquis immunes arcam post quadragenariam navigationem exceperunt.

(11) Ios. Haeb. histor.

linguarum adjectione admodum percrebuerunt. Quid dicam autem de innumeris linguis monosyllabicis, quae in Sinicis atque Indostanicis regionibus occurrunt? Istarum profecto tanta est farrago, ut non solum ex Sinica lingua innumerae dialecti manarint, sed et pluribus monosyllabicis sermonibus orientales orae scateant, qui invicem longe distant, scilicet Tibetanus seu Tangutanus, Tonkinensis, Siamensis, aliique non pauci in proximas insulas transvecti, de quibus suo loco orationem instituemus. Hujusmodi linguas fractas haud immerito quis appellaverit. Populi aliquot propter peculiarem coeli haustum, corporis structuram ac pronuntiationis, quae inde fluit, celeritatem adeo verba contrahere solent, ut genuinum profecto sonum amittant. Hoc satis ex Hottentottica lingua palam est, nec non a nonnullis Italicis dialectis videlicet Bergomensis, Mantuanus, Bononiensis, Januensis ec., qui litteras quasi loquendo exedunt, et verba decurtant, quamvis usque ad monosyllabos non sint progressa. At cujusnam linguae monosyllabicae istae fractiones sint, quas nunc memoravimus, id absque ingenti temeritate asserere nemo potest in tenebris quibus hactenus versamur. Illud solum ex tanta caligine eruere licet Aegiptios Assyriam ingressos, historicis pene cunctis testantibus, ad Bactrianam atque Indiam perrexisse, postea vero Sesostri duce, prout Herodotus scribit, ad Pha-sin eorum copias supersedisse gradum. Hic non temere arbitramur Aegiptios, Assyrios, atque

Indos qui in Sesostris exercitu erant sedem constituisse suam, et Sinis, quos Ptolomeus (12) Sinas, et Strabo Thinas (13) vocat, ortum dedisse. Sinae procul dubio semet Tschin (*ascendere, sparsus equus*), ac Cinam Thien (*terra coelo supposita*) appellant: Quis heic vel nominum similitudinem non aperte intuetur, et exterorum populorum inundationis traditionem non detegit? Nam *sin ingredi* Sinico sermone valet, ac *Tschin scandere*, *dispersae equitum turmae*, quae omnia Herodoti relationi suffragantur. Inde plane elucescit cur docti morum solummodo proximitatem investigantes aliqui Aegiptios, nonnulli Assyrios, alii vero Indos Sinarum progenitores fuisse arbitrantur; sed nemo adhuc istiusmodi originis rationem satis praestitit. Quod si vel ex Etymologia alia velimus argumenta exspiscari, attendamus animum ad pauca haec verba, quae exterarum linguarum monosyllabicae fractiones sunt. *Annulus* Samscrudonica lingua dicitur *Anguli*, Tunkinice *an*; *mater* Coptice est *Mauch*, Sinice *Mu*; *aeque* Malabarice *Ivan*, Indostanice *iw*; *scientia* Samscrudonice dicitur *Widdja*, Tunkinice *biet;* Samscrudonice *Manuscha* est *homo*, Malabarice *manusjiah*, Aegiptiace *manes*; Sinice porro *men* valet *generare;* Samscrud. *dian caelum*, Sinice *dien*, Tunkinice *Thien*; *puteus* Coptice est *dsciod*, Sinice *Tschu;*

(12) Geograph. lib. VII, p. 3.
(13) Geograph. lib. II, p. 46.

Tibetanice *Tschou ; sus* Coptic. *Dscho*, Sinice *dsho; filius Scheri* Copt., Sin. *Dshi*, quia Sinae littera *r* carent; *manus dod* Copt. Tunkinice *tay ; ego* Copt. *anok*, Samscrud. *Chon*, Sin. *ngo*, Tibetanice *nga; dies* Copt. *choou*, Samscrud. *ohoh*, Sin. *je*, aliaque innumera, quae ad amovendum taedium supprimuntur. Postea vero, qui humanarum rerum est exitus, monosyllabicis atque Indicis sermonibus simul permixtis Japanicae sive Japonenses, Annamiticae, aliaeque in ultimo oriente linguae eruperunt, quae nunc singulae propria et materna jura sibi vindicant. Equidem ab illis prolixius recensendis abstineo, et lectorem ad Balbi *Atlantem ethnographicum* atque Adelungii *Mithridatem* mitto.

CAPUT III.

De linguis Chamiticis.

Facta orbis partitione inter Noachi liberos Chamus Africam accepit, ideoque Plutarcus (de Isid. et Osir.) Aegyptum, quae sua tempestate ut potissima Africae pars habebatur, terram Χημιαν appellat et psalmista terram Cham, quo nomine vel nunc Coptica lingua gaudet. Id vero vel ab ipsa nominis vi manifeste apparet; quoniam *Cham* calidum significat, et Africa sane continuo aestu exagitatur, et Graeci eam propterea Africam appellarunt, quia ibi nulla sit φρυκη (frigus). E Chami filiis Chus

Digitized by Google

Aethiopiam petiit, ejusque nati lingua utebantur, quae ob nimiam cum Arabia proximitatem imo et affinitatem ab Arabica originem trahere maximopere videtur; atque inde Abissinici sermones deducuntur. Et procul dubio *Chus*, *Arap*, *Aethiops* idem valent, scilicet *niger*, *adusta facie vir*, quorum speciem Aethiopia, Arabia atque India exhibent. Mezraim vero et Chanaan in Aegypto primus, alter in Palestina imperia condiderunt. Aegyptiaca lingua, ut docti disputant, in Copticam deflexit. Chanaan seu mercator Phaenicios progenuit (i. e. arabice *opibus abundantes*), qui navigationibus merces exportando parentis nomen haud immerito retinuerunt, et *Chananaei* in sacris litteris appellantur. Hanc gentem Punicam a Persis, ac Phaeniciam ab Arabis appellari tenemus propter puniceum colorem (persice *pan* atque arabice *phan* dictum) qui tantopere, ut neminem fallit, apud illos praestabat, ac tanti venibat. (14) Isti Punicam linguam seu Phaeniciam locuti fuisse dicuntur, quae ab eversa Charthagine saeculorum voracitate absumpta est, ac suis ruinis aditum novarum efformationi aperuit, ut prae caeteris recensetur ea qua nunc Melitenses utuntur. Horum propago maledicto correpta, eo quod Chamus patrem jacentem conspicatus ludibrio habuit, fratrumque derisioni objecit, exterarum gentium servitute tenetur « ma-

(14) Genes. capit. XV d.

ledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis » (15). At Deus quo acrius in populi sui superbiam animadverteret, effecit ut iste servitio se eximeret fratresque ipsos servitutis jugo subderet. Nam, ut supra demonstravimus, Ismaelitae, qui Chananaei erant, suos fines praetergressi in Asiam irruperunt, et Babyloniam atque Judaicas nationes in suam ditionem redegerunt. Cujus gentis porro dominatio adeo in Asia altas radices egit, ut Chamus eorum proavus magno honore in Persia sub Zoroastri nomine (16) haberetur, atque adhuc habeatur etiam in universa Tartaria cujus lingua dominator valet. Imo et apud Sinas, Tibetanos, Japonenses, et Peruanos, qui ut mox patebit, ab istis sunt orti, *khon* dominum significat. Hinc excelsum Dei nomen Tibetanis est *khon-cihoa* idest supremus legislator, quod compendiaria scriptione Tibetani exhibent aeque ac Hebraei *Jeova*, et Armeni *Asduaz* scribere solent; et excelsus Sinarum philosophus *khon-futse*, quod mihi *Supremum patrem intelligentiae* libet explicare; *Xa-cham* Tibetanice est supremus magister, etc. Hoc modo veteres Africanae linguae per exteras nationes diffusae aliarumque commixtione deturpatae quasi supremum diem obierunt, novaeque sunt subsecutae, quae nunc in illis regionibus obtinent; nimirum *Coptica*, *Susuica*, *Fan-*

(15) Genes. cap: IX.

(16) Clem. lib, 4. recognit. Gregor. Turon. hist. Fran. lib. 1. Boissard, Kircher arca Noe.

taica, *Akraica*, *Angolanica*, *Madagascarica*, atque *Hottentottica*, a quibus ingens dialectorum copia originem hausit. (17)

CAPUT IV.

De linguis Japeticis.

En tandem formosissimam Europam accedimus, ejusque sermones perquam ditissimi suavesque nobis scrutandi sese modo sistunt. Et jure quidem venustissima mundi pars Europa vocatur, nam Japhet, cui in sortem cecidit, *pulcher* denotat. Praeterea Japhet vel dilatatus valet, hinc et Graeci eam Europam nuncuparunt, scilicet *terram dilatato aspectu*, cujus rei rationem mox reddere non pigebit. Javan seu Jon Japeti filius Graeciam tenuit; ac Joniae nomen tribuit (18). Illa populos perillustres mundo peperit, quorum laudibus celebrandis historia non sufficit, ac sola commemoratio lucem splendidissimam meis paginis affundit. Nunc certe, ni hujus opusculi ordo secus posceret, numquam dicendi finem facerem, si Graecae linguae lepores, veneres et pulchritudines cunctas vellem fusiore calamo persequi. Sed ne a proposito aberrare videar, illud saltem adjicere libet; hunc nempe sermonem aliis nitorem ac venustatem suam impertiendo pre-

(17) Vid. Adel. et Balb.
(18) Jos. Hebr. hist.

prium denique, ut hisce nostris temporibus videre est, amisisse. Nec vero haec lingua dialectis caruit, imo in tot tantasque distracta fuit, ut a Jonio mari usque ad Asiam minorem hactenus etsi corruptae audiantur.

Moschu alter Japeti liber Slavonicarum, seu Moscovitarum (19) gentium pater est quae universae a Romanis Sarmatae appellabantur. Slavonica vero lingua ab Illyrio ac Thracia usque ad Ruthenos auditur. Ista nunc, inito aliquot post saecula commercio cum cultis populis, in diem expolitur.

Magog porro Scythicam nationem Magogicam vocatam constituit (20), atque in interiorem Asiam suum dominium protraxit. Neque mirari subit si Japeti filii se tam late extendissent, cum Noachus in Japeti benedictione addiderit « dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem. » (21) Hinc facile percipi potest, cur Hungarica lingua cum Samojedicis atque istae cum Finnicis, quae alterae in Asiae, alterae in Europae septemtrione passim regnant, magnam habeat affinitatem, et omnes insuper Tartaricis verbis conspersae sint. Etenim Scythae ex Pannonia (quae Maggiar ab illis, Hungaria a caeteris nuncupatur) egressi, atque in Asiam praeter Tartaricas oras transeuntes porrecti denuo in Europam per boreas terras (Finlandia et Lap-

---

(19) Jos. Heb. hist.
(20) Jos. Heb. hist. apoc. cap. 20.
(21) Genes. cap. IX.

ponia) ingressi fuere. Postea vero suo loco compertum erit quomodo vel ad australes terras pervenerint.

Gomerus Gallus cognominatus Japeti primogenitus Italiam appulit, ejusque familiae usque ad Galliam et Gallitiam pone Pirenaeos excurrerunt, postea Hispaniae seu Celtiberiae populis junctae in Britanniam penetrarunt. Istae omnes Celticam linguam sed multifarie distinctam loquebantur, et modo Celtae, modo Galli vocabantur. Flavius Josephus (22) atque Isidorus (23) Gomarenses seu Gallos a Gomero exortos fuisse tradunt, dum eos Chronaca Alexandrina *keltos* nominat; qui, ut nemimem praeterit, Cymbri seu Cumbri a Romanis appellabantur, et nunc Irlandice *Gomroeg;* imo et quam inhabitant terra (Cumberland) ab incolis sibi nomen desumpsit. Sed ne veritas in varia sententiarum confusione lateat, heic argumentis juverit expedire qui Galli, qui Celtae nuncuparentur. *Gallu* Celtica lingua (Irlandice *Gal* (24) *potens* sibi vult, unde et Anglicum *Galant* et *Galantry potens, vis;* quapropter populus universus a corporis robore, quo excellebat, nomen sortitus est, sive a voce *Welsch*, aut *Wales* latina pronuntiatione *Gallus* *w* in *g* commutata (25).

(22) Lib. 1. cap. VI. antiq.

(23) L. 9. cap. 2. de orig.

(24) O-brien focalior Guoidhilge-sax-Bhearla, or an Irisch English Dictionary.

(25) Voltair, Dict. phil. fran.

Celtarum porro appellatio a *kalait iter, trames Gallis* indita fuit, qui primi freto (Calais) superato in Britanniam excenderunt. Caesar ac Tacitus populos istos in Britanniam transisse testantur; quo Hispani etiam seu Iberi colonias deduxerunt, ideoque Celtiberi dicti. Iberi autem a Tubal profecti (26), qui perinde atque alii Japeti filii in Semi tabernaculis (Asia) habitavit, Scythiam transgressi Hispaniam potiti sunt; atque Ibero amni urbibusque nonnullis in eorum transitu nomen dederunt. Hujuscemodi sunt Aquitania (Aquitan) Lusitania (Lustan) aliaeque non paucae, aeque ac in Asia Kurdistan, Belochistan, Turchestan, Indostan, et in Africa Mauritan, Tingitan, cuncta ab orientali *tany civis*, et Celtico *Tan* civitas derivantia; unde et Anglicum *Town*. Propterea Isidorus (27) Hispanos Italorum affines reputat, atque Italia aliquoties in Chaldaica sacri textus versione *Tubal* legitur. Audiamus Pomponium Melam (28) « Frons illa .... ad promontorium » quod Celticum vocamus extenditur; totum Cel- » tici colunt .... a Celtico promontorio » ad Scythiam usque. Hinc perpetua ejus ora..... » ad Cantabros pene recta est; in primum Artu- » bri sunt Celticae gentis, deinde Astures ». Hinc recte Berosus Gallos qui a Gallis ortum duxe-

(26) Jos. Haeb. lib. 1.
(27) Lib. 9. cap. 1. de orig.
(28) Lib. 1. cap. III. de situ orbis.

runt Hispanicum dominium usque ad Lusitaniam (quae nunc merito *Porto-gallo* vocatur) produxisse ait. Cantabriam vero, de qua nuper Pomponius, Piraenei a Gallia separant, atque utriusque regionis incolae simillimo nomine gaudent. Plinius (29) atque Isidorus (30) cunctos Vascones appellant, qui nunc Francico sermone *Gascons*, et Hispanico *Bizcaini* dicuntur (31). Quod vero ad Hispanorum in Britanniam transitum spectat ne res imis tantummodo labiis degustare arguamur, id planius aperire placet. Sciendum primum est *Brittannos*, ut Ptolomaeus atque Isidorus inquiunt, eosdem fuisse ac Pictos (32) quos saepenumero in Romanorum historia legimus. Et sane *Brit-Tan* celtice significat *urbem a pictis* hominibus habitatam. Claudianus in tertio Honorii consulatu horum mentionem facit,

» .... nec falso nomine Pictos
» Edomuit, Scotumque.

Et Martialis (33).

Barbara de Pictis veni Bascauda Britannis.

Brittanniae partes praecipuae sunt Scotia (latine *Caledonia*), atque Irlandia (latine *Ibernia*). Sco-

(29) Lib. IV. cap. 1.
(30) Lib. 9, cap. 2.
(31) Isti Celtica dialecto, quae nunc *Basque* vocatur, utebantur.
(32) Lib. 2. cap. IX.
(33) Lib. 4. Epig. 99.

tia a Celtica voce *Scud* seu *Scut* (34) (navis) nomen traxit, unde ex Celtiberia enavigasse satis constat. Irlandia porro (35) in Orpheo, Aristotele et Claudiano JERNA legitur, qui Gallitiae mons est, ut Strabo, aut amnis, ut Pomponius Mela credit. Ejus gens propria lingua vocatur *Irin*, Anglice *Irish*, ac Brittannica dialecto *Iverdan* (36) .... ecquis obsecro heic Ibericam migrationem non cernit? Ex hactenus dictis luculentissime apparet, ni fallor, hos populos ab una eademque natione primitus manasse, postea distractos quemque sibi peculiare nomen comparasse. Hinc recte Voltairus Galliam Aquitanicam, Celticam et Belgicam discernit, penes quos omnes vel in praesens gallicum nomen servatur. Gallitiae populi in Hispania dialectum adhibent propria liugua *gallego* nuncupatam; alia extat in Francorum dominio, quae *Gaulois* appellatur. In Britannica provincia (Wales, seu Galles) gallensis (walon) sermo auditur; in Ibernia (Ireland) provincia quaedam *Gallovvay*, scilicet Gallica via, vocatur etc. Galli proprie dicti usque ad Italicam regionem, quae nunc Lombardia vocatur, extendebantur; caeteros porro, qui ma-

---

(34) *Scut tegumentum cortex* vetusta vox est, atque hinc scutum et scythae, qui eo semper operti incedebant, ac *Teotiscum schote*; deinde vero Copticum *skeita* navis, quae corpus in aequore tegit aliaque nonnulla fluxerunt.

(35) Phil. Briet. parall. geograph.

(36) Haec natio celticam dialectum (Irish corrupte appellata) loquebatur.

ritimas terras habebant, Tirrenos seu Etruscos nuncupatos fuisse accepimus. Isti ob Graeciae proximitatem et commercium cum Graecis initum adeo istorum vestigiis insistere studuerunt, ut etiam lingua Graecas voces formasque usurpata in Latialem illam evasit, quae postea aliis ipsa mirifice inclaruit. Nam Romani cum universum pene orbem suis armis subegerint, patrii sermonis veluti exuvias vel in longinquis regionibus reliquerunt; sicut in pluribus Celticis linguis videre est, quae a Romano splendore in fugam conjectae pristinam exuentes asperitatem latinam elegantiam quodammodo induerunt. Hac sane ratione Galli, Lusitani atque Hispani decursu temporis purissimas Tiberis aquas haurire conati sunt (37). At ipsa demum ex tam excelso gloriae culmine decidit, atque ab illis, quos profligavit, devicta fuit; quin imo a suis liberis, si id dicere fas est, labefactata corruit. Etenim Gomerus Thuisconem seu Ascenaz genuit, qui montium jugis superatis ultimam Scandinaviam adiit, ac Teutonicam potentiam excitavit. Ab eo ingens Germanorum populus proficiscitur, qui vel nostro aevo vetustissimam, sed nunc politiorem Teotiscam linguam loquuntur. Isti primo tam feri atque agrestes erant, ut vicinas terras invadere et po-

---

(37) Ex his omnibus Lusitanicus sermo prae caeteris latinam puritatem servavit, quoniam Hispanicus, qui illi est simillimus, ab Arabico vehementer inquinatus est. Neminem vero fugit Arabes, longo temporis tractu, Hispaniam sub sua dominatione habuisse.

pulari sibi gloriae ducerent, imo suos lares flammae addicerent, quo animosiores ad bellum et rapinam incitarentur, atque finitimos populos caede vastarent (38). Hinc perspicuum est cur Teotisco sermone Celticis ac Slavonicis dialectis permixto, Celto-Teutonicus, quo Angli, ac Slavo-Teutonicus, quo Borussi (39) et Lithuani utuntur, emerserint. Thuisconis igitur filii parvo agmine impetum quotidie in adjiacentes terras facientes ingentibus denique copiis Gomeri provinciam adorti cuncta, quae amaenissimo Italiae coelo nitebant, sua feritate deturparunt. Reliquae porro barbarae septentrionis nationes istorum incrementis in invidiam actae suis confisae viribus Italiam totam inundarunt. Tunc linguae, scientiae, ac litterarum, artiumque monumenta pessumdata humique prostrata jacuerunt. At Deo tandem Italicas vices miserante, lux in tanta caligine, quae omnia obruebat, affulsit, et litterarum splendor in Italiae caelo fulgentior emicuit. Et sane latina lingua prout illa avis, quam poetae effingunt, e suis cineribus pulchrior quidem et venustior, mutatis solummodo formis, surrexit. O Italica lingua, salve, qua mirum quantum delectamur: tu enim caelestiali veluti concentu aures demulces, atque animum magna voluptate perfundis!

(38) Tacit. de mor. Germ.

(39) De veteribus heic Borussis loquimur; nam hodierni mores agrestes affatim exuerunt, et puram nunc germanamque Teotiscam linguam adhibent.

CAPUT V.

De Oceanicae atque Americae linguis.

Non defuerunt inepti homines, quos temerario impudentique ore effutire non puduit, quod sapientius egisset Moses, si quinque Noacho liberos tribueret. Nam ecquid ajebant, de duobus reliquis mundi partibus censendum alioquin esset? quisnam illuc homines pepulit? anne de coelo dejecti arbitrandi sunt? Ad istorum stultitiam audaciamque retundendam illud reponendum: si nempe adeant geographicos libros et hodierna loca cum vetustis comparent, nec prius loquantur, quam rem consultius excusserint, quirent profecto advertere antiquitus fretum (Anien) (40) inter Americam et Asiam extitisse, aliudque inter Africam et Brasile; qua olim Atlantides in Americam productos nonnulli putant Platonis (41) sententiae innixi, qui, ut ipsi inquiunt, Americam novit. Sed quanticumque isthaec opinio habenda sit, ex Herodoto (42) nihilominus liquet Atlantides praeter fretum navigantes a tempestate in occidentales terras longe remotas pulsos fuisse. Diodorus tradit Carthaginien-

(40) Malteb. geog. 1. nunc vero fretum Behring adhuc extat quod Americana Buthenorum dominia ab Asiaticis secernit.

(41) In Erat. et in Tim. ac Proc., Porph., Orig., Platonis interpret.

(42) L. 5.

ses, qui *suis classibus* omnia maria scrutabantur (43), ultra Atlanticum Oceanum insulas, novasque terras invenisse. Aelianus (44) Silenum cum Mida loquentem inducit, qui Europam, Asiam, Africam insulasque ab Oceano circumdari ait, transque eum terras extare refert auro atque argento ibi vilius quam ferrum habitis collucentes. Avitus apud Senecam fertiles in Oceano jacere terras asserit (45), ultraque eum rursus *alia littora, alium jacere orbem.* « In Atlantico mari Europaeo orbe potior insula », sic Marcellinus. Quis, obsecro, tanta caecitate obstringitur, ut heic nequeat Antipodes discernere, de quibus Cicero (46) sic loquitur? « Non » etiam dicitis esse e regione nobis e contraria parte » terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra » vestigia, quos Antipodes vocamus ? » Praeterea facilis septemtrionalibus populis per glacialem Oceanum in Americam super rhedis transitus erat vel ante repertam navigationem. Et sane Caliphornicae linguae Tartaricis, et Eskimenses seu Groenlandicae Finnicis affinitate junguntur. Similitudo autem, quae inter Japponensium et Peruanorum (47) mores, religionem, nomina conspicitur, haud aegre credendum suadet innumeras insulas in Japonico mari disseminatas, ac praesertim Aleutiacas,

(43) Appian. in Libicis, et Pausan. in Attic.
(44) 3 Histor.
(45) In suas......
(46) 4 Acad.
(47) Georg. Horn. de orig. Americ.

quae in America producuntur, unum olim perpetuumque continentem fuisse. Si quis porro Americanas linguas diligentissime scrutaretur numquam ei Sinicum, Indicum, aliosque Asiaticos sermones in illis non licebit reperire. Hinc sane compertum est qua populi in Americam penetrarunt, ibi eorum linguae vestigia adhuc mansisse, quae postea, ut vel caeteris contigit, aut mixtae, aut discretae in alias abierunt.

Oceanica porro aut Africana aut Asiatica libenter distingui potest, nimirum quae Orientales quaeque occidentales insulas complectitur. In Africa Africanae linguae ab insulari pronuntiatione atque humanarum rerum vicissitudine nonnihil immutatae audiuntur. Asiatica vero quasi universa (alicubi enim alii Asiae sermones obtinent) et praecipue Maldivae insulae Malaicam linguam loquuntur, quae e Transgangeticarum familia est. Hinc nebulonibus istis auctor fuerim ut sileant potius, neque sententias depromere audeant, quae nemini satis probari possunt.

TOTIUS OPERIS CONCLUSIO.

Ex hactenus enunciatis satis constat corruptionem hominum labii corruptionem attulisse; ac Japeticas dominationes et linguas caeteris longe praestare; itaque Deum omina Japeti a Noacho adprecata explevisse: dilatet Deus Japhet. Etenim Europaei universo pervagato orbe ac potito quaqua-

Digitized by Google

versus regnant, eorumque linguae undique florent praesertim in America et Oceanica, ubi indigenis sermonibus ferme ejectis, praeclare vigent. Habes, amice lector, quae a te benevole veniam mihi mereri poterunt. Si non penitus arrideant; utere tua mecum humanitate, et scias omnia, quae adhuc persecuti sumus, conjecturae fulcris et probabilitate inhaerere. Cum ne historici quidem narrationum suarum veritatem interdum praestare possint, quippe quibus nec tempore, nec loco rebus, quas narrant, licuit interesse, multo magis indulgenter me habere poteris, ubi in multa incideris quae non probes, quum in re tam veteri tamque implexa notiones unde unde exspiscare debuerim. Quodcumque tamen judicium de me feras, etiamsi te Cynicum sannae severioris experiar, et nodum, ut dicitur, in scirpo quaeras, haud prorsus iniquo animo patiar. Immo tecum libet illud Horatii usurpare.

> .... Si quid novisti rectius istis
> Candidus imperti, si non, his utere mecum.

FINIS.

NAPOLI
625761

Copia ec. A S. E. Reverendissima Monsignor Colangelo Vescovo di Castellammare e Presidente della Giunta per la Pubblica Istruzione — Eccellenza Reverendissima — Il Tipografo Giovanni Martin desiderando di dare alle stampe l' Opuscoletto del sig. D. Lelio Carfora intitolato: *Glossodendron seu linguarum genealogia a Laelio Carfora breviter enucleata*, la prega compiacersi accordargli un Regio Revisore all' oggetto — Napoli 11 Settembre 1831 — Pubblica Istruzione — Addì 13 Settembre 1831 — Il Regio Revisore sig. D. Girolamo Can. Pirozzi avrà la compiacenza di rivedere la sottoscritta opera, e di osservare se siavi cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità — Il deputato per la revisione de' libri — Canonico Francesco Rossi — Eccellenza Reverendissima — L' Opuscoletto del sig. D. Lelio Carfora, tenue di mole, grande pei concetti, e per li sublimi pensieri, fa rammentar felicemente i giudiziosissimi parti de' classici Autori del Lazio, che nell'età dell' oro fiorirono. Io vi ho osservata la filosofica connession delle idee, il maneggio delicato della materia, e quando di più erudito può congegnarvi un filologo. Tal'è il mio giudizio, onde esprima il voto per la stampa dell' Operetta, che in nulla lede i dritti della S. Religione, e del Trono — Da S. Gio. Maggiore li 12 Ottobre 1831 — Il Regio Revisore — firmato — Canonico Girolamo Pirozzi.

Digitized by Google

Napoli 1. Settembre 1831.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA

PER

LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

VISTA la dimanda del Tipografo Giovanni Martin, con la quale chiede di volere stampare l' Opera intitolata — *Glossodendron seu linguarum genealogia a Laelio Carfora breviter enucleata*;

Visto il favorevole parere del Reg. Revisore Sig. D. Girolamo Can. Pirozzi;

Si permette che l' indicata opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Reg. Rev. non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all' originale approvato.

Il Presidente
M. COLANGELO

Pel Segretario Generale,
L' Aggiunto
ANTONIO CIPPOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

oogle